



# DE OPTIMO VITÆ GENERE. PRIMA PARS.



PRIMUM vitæ genus quilibet scire optat. Verum calamitosis præsertim conducit: velut senibus, vincis, seruis, non solum vt ipsum adipiscamur; sed vt si calamitas illa non sit ex his quæ vitam beatam prohibent quietius viuamus, & nedum quod malum non est, aut saltem non impedit pellere nitimur, aliud per quod impediamur accersamus. Scire igitur hoc ipsum præstat ne aberremus: & demonstrare quid sit, vt animus acquiescat. Ergo humana vita, si verè æstimanda est, nihil habet, sed vt ille dicebat:

*Post regnum distat nihil nudo*

*Crasus ab Iro.*

2. Et vt Philosophi dicunt, vt punctum in circulo: ita ipsa ad æternitatem. Vere etiam quid refert nunc, si ad rem respicias, Xerxi, quod olim Rex Orientis fuerit, aut Cleombroto quod in equo Phalaridis extinctus sit neque enim vnquam potui intelligere, quid præterita quæ nihil reliquant, possint in vitam nostram, nisi à temetipso discrucieris: multo minus in mortuo. Profectus est, vt puto, hic error ex similitudine earum voluptatum, ex quibus aliquid relinquitur iucundum, vt alea si feliciter cedat, Venere si filius progignatur: à somno salus: à conuiuio amicitia: à certamine laus. Sed hæc iuncta voluptati, non à voluptate: Verùm actione recta. Cum igitur ita sit, quid refert quod hodie aut infra x. m. annos pereas? Omnino enim futurum est, & aliquando transibit hoc tempus & infinito spatio obruetur, nisi putas aliquid interesse nunc inter Cyrum qui iam plusquam ab hinc m. m. annis, & Ritium fabrum lignarium qui paucis ante diebus interiit: Abiecti nimis est animi dolere quod cras, aut perendie sis moriturus; solue annos in dies & idem erit: aut incidet in quæstionem pforiticam.

Sed si ad opinionem, aut vulgarem? & ita felicissima erit, & solum in caupona vbi libere licet pergræcari. Nam si velis vitam horum potentium æstimare; quod ad sensum attinet dum fruuntur miserrima: quoniam non vltima nisi cum transgreditur vires humanas; & tunc vel in ipso actu, vel paulo post discruciat & alias occasiones interuertit, & si vltima non sit, non explet libidinis pruritum. Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Ita & de concubitu, potentia, & alijs: ac

quantus labor vs expleas, & præcipue quod expleri non potest: post autem flebilis. Quid ergo hoc cupere, lætari, discruciaris? Scabies.

Quare ad tertium felicitatis genus transeo quod ciuile dicitur, commune in vsu, & à cunctis comprobatur, quod omnes appetunt, iuxtaque ipsum viuunt optimates, & principes, ac populi: iudiciumque de existimatione hominum, & vita beata, ac miserrima sumunt. Idque duplex est; nudum, & implume: cum quis fortitudine sola animi fretus se felicem existimat etiam inter miserrima, quod quibusdam natura contigit. Vt Andrubalis seruo, qui in tormentis ridens obiit. Aliis disciplina, vt Anaxarcho, & Tenoni Eleati: pluribus autem vsu, & educatione, vt olim Legionariis Romanorum, & nostra ætate cohortibus Germanorum, & Hispanorum, & militibus Turcicis, & equitatui Scytharum, nam hi læti viuunt, & alacres moriuntur: etiam aliorum existimatione qui solum huius vitæ rationem habent, vt constet in hoc genere felicitatis, quod forsitan aridum & sterile putabas, magnam partem humani generis contineri: nec solum gregarij milites, & optimates purpuratique, inter hos connumerantur, vt nunc experimento vides in hoc accerbissimo bello, sed etiã Reges ipsi, vt Agesilaus, & Alexander, ac Iulius Cæsar.

Ad aliud ergo quod solum relinquunt felicitatis genus transeo, non tantum ciuile, sed decorum, & molle, quod tu optas: idque pariter dico sapientibus solis, & omnibus, maximeque conuenire. Verum antequam rem aggrediamur, ne locus dolori vacet, multum conducit scire axioma illud: Deum optime generaliter constituisse: Verisimile etiam esse, vt singulorum iustitiæ prospexerit: neque enim potestas, aut sapientia, aut voluntas defuisse potuit: omitto indignas auctore excusationes, mortis & erratorum, hoc enim plerumque ex stultitia: Vnde maxima prouidentia opus fuit: vt læsis succurratur, innoxii ne iusto plus scuiret. Vides tot mulcas, & cimices naturæ humanæ tam improba? quorsum hæc? ne non solum homines: sed nec equi feliciores essent lacertis. Vis scire? inuidia parata est: Bonus esse? contemptus: diues? labor, aut sollicitudo: potens? metus. Nullum penè discrimen inter animalia nedum homines, nisi quod quidam specie eminent, quoniam sua bona exponunt: velut gladiatores galeam: alij occulunt. Tota igitur hæc administratio ad æqualitatem pertinet. Quod si ad æqualitatem,

etiam

etiã ad iustitiam : hoc enim minus est; quare potuit idem fecit. Quid ergo quereris, aut dubitas? primum compara Alexandro Diogenem: hic incolumiori vita & quietiore productus ad decrepitam ætatem: carus etiam alienis: causas rerum nouit, & Diis gratus: contra illi omnia, & fortuna ingens eius non causa sua, sed ad supplicium oppressorum. Quid de gloria? quæ si nil superest, nihil est: si aliquid, etiam minus quam nihil. Omnia igitur mira æqualitate: quod si nitaris progredi, conditionem licet facere deteriorẽ, non meliorem: nisi quod opum ob commodorum multitudinem, & consuetudinem vtilior videtur: sed verè non est, imò peior: Vnde non minus stulti est, & anxij quam impudentis pro tam exiguo tempore, & cum hac lege sperare, quam petere quicquam. Alterum autem non tam remedium doloris, quam exacerbatio: si neque natura, neque casu, aut culpa aduenit. Itaque si non quæ dicitur quæ plura sunt & valida, ob mollitiem prorsus latisfecerint, aut in nobilitate virtutis quemadmodum Aristoteles docuit cuius finis est honestum, & quod colunt, ac venerantur Reges ac ciuitates (tum maxime quod ultra progredi minimè liceat) reposita est non tantum compensatio omnis mali, sed etiam excellentis felicitatis status, aut in animorum perpetuitate, aut in gloria quæ est virtutis opinio constans de aliquo apud præstantissimos homines: aut in remuneratione abdita, velut illorum quos maximè diligit: ex quorum stirpe prosuunt viri potentes, & præclari ac benè fortunati: Vel quoniam id verum non sit, quod viri boni ac sapientes plectantur, cum neque Hippocrati, aut Aristoteli, vel Oribasio plus perierit, quam sine quo possint esse felices, nulla vis vitæ adhibita est, non libertati: stirps, atque monumenta manserunt. Nam Socratem neque sapientem, neque simpliciter bonum appellare possumus, forsitan temporum comparatione licet, vel quod huiusmodi hominibus Deus aut Genius se prodat: vt etiam censuit Aristoteles, idque maximum esse constat eorum quæ homini in hac vita contingere possint. Sed vt ad rem veniam, quandoquidem dubium non sit, aliquo horum modorum, aut pluribus, aut aliis consultum esse indemnitati innocentium tamque facile sit ex maximis Deo eruere, quemcunque miseris, & in summo mortalium fastigio collocare, quam alluare ex partus: exemplo sanè flammæ quæ tam vrere potest ex scintilla quam ex maximo igne, cum ex scintilla ad flammam illam maximam vix momentum interponatur. Sed vt ad rem veniam cõstat felicitas in possessione præstantissimorum bonorum, & vt his quæ habet optimè fruatur, vt commodo nullo destituatur, & vt inter pares emineat: sapiensque ac felix existimetur. Nam si ad felicitatem necesse sit vt quod optat omnino habeat, non nisi Deus felix erit: neque sufficere esse Regem nisi par sit Argantonio, quem ferunt regnasse octuaginta annis, vixisse centum ac triginta: quæ geræ? neque tonsor prætori, aut, futor medico inuidet: sed sui generis duntaxat hominibus inuidet: & appetitus indicium

Tom. I.

est: felicitatis autem in eorum quæ appetuntur maximè possessione consistit: & si lenium ei ob stare putes falleris, nam hoc ipso multis numeris senex iuniori antestat, primum scientia & vsu rerum: faxo inquam dices? sed & quod molestiis sensuum à quibus iuuenes, velut delphini ab asilis miserè afficiuntur careat, inde etiam tum ob hoc, tum experientia magistra, purius voluptates, ac melius percipiunt, sunt etiam maiori in veneratione, & liberius loqui eis licet: & à nullo magistratu arcentur: quinimò quosdam solent habere ciuitates ad quos tantum senes admittunt, locupletiore etiam memoria anteatæ vitæ fruuntur: & minore in periculo ne miseri pereant: quãdo minus periculi à casibus sæuis in paucis annis sit, quam in raultis: & in effœta ætate quam florida: & mors eorum minori cum dolore est quam iuuenum, imò si credimus Aristoteli prorsus doloris expers. Denique si anteatæ vitæ piget, propior es termino: si te delectat: longiore fruitus es. At dices rhetoricè mecum agis? licet malas merces obicere, pecuniæ adulterinæ, quod tu adducturus es falso contra nos pro felicitate sapientis oppugnanda: atque inter tot laudes senectutis sola infirmior visa est, statim sensisti. Ergo postquam senectutem non licet despiciere, iam nullus poterit hoc munere indignus videri: aut sperare ne non adipiscatur: quandoquidem nulla sit infirmior ætas, quam senis nec magis misera conditio; quod reor accidere quoniam iuuenes temperaturam necessario bonam habent, cuius auxilio à quouis morbo, atque calamitate, vt restituantur, spes est. Hoc igitur genus felicitatis in re & opinione constat, nam de re apertum est, & fatentur omnes, neque aliquod potest esse magnum discrimen nisi in filiis, aut si desint necessaria, vel libertas aut corporis incolumitas; si enim speres aliquid nostrum posse esse perpetuum, fatuus es, vbi enim tot antiquorum monumenta ante tria annorum millia? at de filiis, cur non gaudes de successibus Principis Hetruriz? dices ad me non attinet: & tamen illi propior es, quam his qui post x. annorum ex te succedent. Et multo etiam magis quam illi inter se erunt: iam verò dixi nihil interesse quòd omnino futurum esset, si eueniat cras, vel post x. annorum millia quamquam magnus esset fortunæ fauor, vt inter tot tuam stirpem tam diu mansuram eligeret. Quod & si contingat, nomen tamen, & memoriam excidere, & aboleri necesse est. Quare melius erit vt de præsentibus ac certis, quã de incerta futurorũ expectatione læteris.

Sed vt de felicitate civili agam, plus posse in ea opinionem re, perspicuum est, cum multos miserè perire videamus, quibus nihil deest, tũ quia in his quæ ad illam faciunt præcipuis rebus, scilicet, filiis vt dictum est, ad continuandã progeniem: sanitate qua corporis: libertate qua animi, opibus quibus reliquis bonis fruimur contingere necesse est, quædam aduersa præsertim durioribus temporibus: Velut olim Phalaridis, Apollodori, Dionysij, & paulo ante nos Brixiz, carnes humanæ in macello cũ capitibus venales prostituerunt: & nũc Anthropophagi magni adhuc extant, vt nunquã ma-

Sf 2 gna

2. Ethic. cap. 6. 7. &amp; 10.

1. Rhet. c. 5.

10. Ethic. cap. 8. in fin. &amp; 1. de part. Animalium cap. 5.

gna si breuia, aut lenta si moderatiora supplicia defuerint. Humanitatis enim partes sūt gratia, māfuetudo, misericordia, iustitia, fides. Si igitur calamitatibus obuam ratione non eamys, & in illis ordinē statuamus, nemo, (non te solū dico) felix esse poterit. In cunctis enim mortalibus ordinem quendam esse necesse est, vt in opibus primum prædia inde pecunias, post ornamenta, demum domus suppellectilem habere oportet. Cum ergo in re quatuor hæc sint, filij, virtus, incolumitas, & commoditas: atque in modo totidem, possidere præstantissima, optimè frui bonis, & ad vsum nihil deesse, atq; eminerè inter æquales: postquam nemini concessum est, cuncta & illibata, & ad culmē (vt dici solet) expleta habere, videndum est quænam sint potiora: & quovsque detrimentum non impediāt felicitatem: & quod sapiens oblati frui debeat, & aduersis occurrere: nam si sensu solum diiudicare vesis, mala duo sunt sanè, quæ vitare non possumus: mors simpliciter, & senectus: quæ si præoccupet, morte deterior habita est: si præoccupetur iuuentæ casus deploramus, velut Lucretius, & nostra ætate Petrus Crinitus. Igitur omnis felicitas cum consistat in bonis animi, corporis & fortunæ, dubium non est (quod si ordinem constituere necesse sit) quin in animi bonis primum constituta sit: tum quia animus corpore, atque fortunis multo nobilior est, tum quia non percipientibus nobis nulla est felicitas. Percipimus autē animo: tum quia pars illa similis Diis perpetua, & quæ à nobis auferri nequit. Collocabitur ergo, vt Epicætetus docet, in virtute atque sapientia: post in corporis bonis, scilicet sanitate, demum libertate: atq; aliis fortunæ beneficiis: hicque primus ordo; alius est vt in rebus ipsis vt dixi (atque eas nunc exposuimus) deinde in ratione: ea constat præsentibus, præteritis atque futuris, præterita si felicia sunt eorum memoria, vt dicit Epicurus nobis delectabit: si aduersa comparabis ea præsentibus: dicesque illud vt & Seneca.

*For san & hæc olim meminisse iuuabit.*

Præsentia torquere non debent quia statim disfluunt: futura multo minus, cum nihil sit in eis tam certum quam quod nihil certum esse possit. Moueat te exemplum Mæragenis, vt refert Polybius, qui læsæ maiestatis apud Agathoclem Regem sanctissimum accusatus, & captus ac nudatus vt tormētis admoueretur, nullo intercessore, iussu Regis repete dimissus est.

Redeo ad præsentium considerationem, in quibus caue vt recta ratione vtaris. Dixi ad felicitatē pertinere vt emineas inter pares: cum iare præstes quot sunt auxilia propria: emines eruditione: quot legunt tuæ omnia simul cōpone xlviij. annis es à medicina. Quis tam diu? quid si non aggressus? si intempestiuè subtractus? cur non regi inuides? cur non foeneratori, qui lōgè minore æstu, & flagitio plura sibi parauit: aufer scelera: peius illis erit quam tibi: aut cōputa: & adhuc magis tibi quam illis. Num de falsa fama vis torqueri de timore tutior esse debes, non solum quam antea seū quam illi: at non sum? tua cuncticia premeris, securus saltem non sum? quis alius est denique inspice huius mundi ordinē nihil videbis abominabilius, aut nihil melius: vt rouis modo non vt quætaris: si enim fato regitur cur dolesti? si prouidentia placæ Deū: si casu gaude quod mēte præditus sis, aut te subtrahe.

At viuere cupere? cur? ob iucūda? puer, aut puella? perfectum sū. vel non flebile intelligere se quo vis momento per vnam vocem, aut gestum stultum. Care Perfa posse fieri miseriam? Quæ nam tali vita gratia habenda?

Iuuenis fallax.



Puer fœdus.

Senex fortidus.

Restat vt videamus quomodo sapiens propria recte curare, aut tractare poterit, si omnia quæ agimus, quæ patimur, quæ eueniunt sunt indifferentia: sequimur bona, fugimus mala, si neq; bonum, neq; malum est, quorsum ea cura? vnde opinio apud vulgus inoleuit eos homines quos contumeliæ caula Philosophos appellat minus valere in rebus agendis etiam si velint. Ergo dubiū est quorsum vita ciuilis sublato de medio bono, & malo? Et si nihil agendū cur Epicætetus qui sub Vespasiano, & Tito Romæ habitauerat, Domitiano regnante discessit? Vna est igitur ratio generalis sapienti in omnibus recte agendi, ipsū recte, agere quod virtutis est opus, abiq; finis expectatione. At dices, quid est recte agere? si bonum nullum esse: negamus sapientē non posse errare, aut infelicem esse, cum possit contingere vtrūque, sed prius oportet desinere esse sapientē, velut in ebrio, aut victo grauibus tormentis aut infano facto ex febre, aut medicamento: nam tales miseri esse possunt. Bonum igitur est quodcumque tuetur hominem magis à periculo, hoc igitur sequitur sapiens. Quicumque, ergo sola animi virtute possunt resistere tormentis, & in illis felices esse possunt: qui verò deiecti à sensu & pœnitentia ducti miserabiles frustra ediderunt voces, non fuerūt felices. Ergo deuitando huiusmodi occasiones, plura bona contingunt. Primum vt non se exponat periculo infelicitatis, secundum vt diutius durare possit in vita, atque ideò secundum virtutem operari: Tertiū vt exemplo alios excitet ad illam. Quartum vt facilius alleues & purges melius animum à molestiis quas opinio falsa de ementitis bonis reliquit. Ergo non solum tam bene, & diligenter curabit sapiens vitam ciuilem quam quivis alius, sed melius ac diligentius, vt cui animus sit firmior: non tamē de sine iurabit, sed velut procurator alienæ causæ tuebitur suum clientem quam poterit accuratus, non ob illum affectu mouebitur qualiscunque exitus sit. Neque Epicætetici discessus Hierapolum in patriam alienus fuit ab instituto, sed amētis potius, impendēs non deuitare periculū idēoq; is etiam acephala, & gurgites. Quoniam sapientia, & virtus non est neque in animo solo sita, nec exteriorē actu. Hic enim impediri potest ille sine fructu est, sed in interiorē vsu. Quare sapientia huiusmodi, non solum à prudentia communi aliena non est, sed etiam illi coniuncta. Exorandus tamen Deus est ne hæc contingant, aut alia via iucunda, vt tales occasiones deuitemus, quoniam natura humana ab huiusmodi extremis abhorret vixque sustinere potest. Eam ob causam Stoici (cum

animum

animum superstitem esse dicerent) non curant de animi immortalitate verba facere, satis esse putantes hæc principia ad hoc ut homo careat omni infelicitate & inter mortales felicissimum se intelligat: non tamen simpliciter felix dici meretur, nam mortalis conditio felicitatem non admittit, cum multa illa & magna seu corporis seu fortunæ corruptant internam animi vim, ut imbecillior aut impurior reddatur, non felicitatem augent. Quid vero etiam si millies sestertium congreges nec sit coniunctus, num felix? non ut boui in macello: etiam senex, sed qui sine? fateris? fateor, at illi nihil ad te, solus peris; solus eo ibis; hæc coniunctio quot modis infringitur? nihil tibi omnes qui supersunt. Res igitur tota constat in animi dotibus insignibus, & ut non sit casibus his subiectus per quos animi vires infringantur, ut non breuior reddatur vsus eius. Verum quoniam huiusmodi adiantis proprium est fama populari periclitari, ut Socrati; optimum ante se subtrahere iam attentato componere: afflicto similibus artibus se tueri minus enim irritantur, interdum iocos: demum pugnare: pessimum quasi virtute reniti. Quod si etiam eueniat ad felicitatem pertinet, quod tibi proprium est absque animi dolore ferre: commune autem sortem subiisse.

In aduentibus autem quæ supersunt rem ita dispones. Primum locutio rara sit, pauca cogitata licet non solum dissimulare, sed simulare, & animum videri despondisse, ut amicos ad te tuendum magis excites; infra semper respicias, nec verearis quod æmulatio possit perpetuo augeri: nam cum ut ignis ad culmen breui peruenit celerrime etiam in se ipsum concidit, & suos opprimit. Poma semiputrida alia corrumpunt, cum autem computruerint non obsunt. Omnia non solum stulta, sed etiam prodigia, despiciet, multoque magis auspicias, nam somnia atque miracula, quanti faciet qui pro rebus ipsis nec lætetur nec doleat: cum opes & honores amiseris, dic quid antequam haberet? qualis hæres cui non mihi hæc pereunt? imo neque curabis, ut raperes, aliquid enim defuturum, & forsitan id maius erit, æqualia enim esse oportet, ita hæc ex accedentibus per se intellexisse periisse amicam plura; speranda: an non multo maior dolor? vel contemptus? proprium autem in aduersis memoriarum mandandi: ut tui statim recorderis, atque superiorum, & aræ illius amplæ, splendide, beatæ: ad rem quid refert, an paulatim an simul vestes exuas? nam sic maiori labore, & minus comode: Vides corpora pauperum validiora, & formosiora quam opulentorum. Reges ipsi operacalorum, & lixarum magis indigent quam illi regum, & intima penetrant; Summum cum imo adeo coniunctum est: mūdus fabula; & qui in eo sunt tam miseri quam potentes actores, ut etiam Augustus moriens dixit. At indigēs? quære bonam seruitutem; ea est sapientis, potentis, amantis, probi: sufficeret dixisse sapientis: hæc vita iucunda, suavis, perfecta: forsitan quæreris inuidens his quibus plene concessum est muneribus à natura datis uti: omitto nunc quod quisque habeat quod torquet, ex re ipsa tantum argumentum desumo. Primum non tibi impedimento, nisi hæc regio quæ aliena est, sed si

Tom. I.

etiam vbique interdictum esset, nihil amisisti, ingratitude mera est hæc. At iniuste premor? hoc suum malum tantum est. Etenim vel non lædunt, vel non sciūt, sed iniuria priuatus sum his quibus indigni mei loco fruantur, hoc torquet: quamprimū poenas dabunt: concidentque cum suis, ut dixi: singillatim vide præterita quam nihil nocet, ita erit & de futura, si aderit. At de præsentis queror? si præterita non læsit nec præsens, totum igitur consiliū eo verti debet, ne deteriore afficiaris, at huic minus aliis obnoxius es: sed postquam æqualitati studet Deus, satis tibi est, si aliquanto aliis sis felicior quod iam adeptus es: si plus speras insaniam tribuendum, si cupis infelicitati. Demum si aduertas hoc ipsum, te certiorē in quavis fortuna reddet, nihil amisisse cogitando mentis præstantiam: ea regit animum, & corpus è quibus homo constat, atque; ut illa corpus sic mens animum: ut sine labore illi imperet, & ipsa quocunque libet momneto vagagatur, vna est tot viribus prædita cui communicant splendida, aliisque; simillima quibus etiam iungitur, & viribus suis collectis, ac densata velut sphaera vitrea solida resilit tanto maiore impetu quanto in terram elisa fuerit, altiusque ascenderit. Sed dices etiam libris interdictum est: peribunt? ne time perfecte seruantur in archetypis: omnia plena numinibus. Verum nondum tibi vel literula: plus iam extra aleam quam cuiquam veterum relictum: plus illis periret quam possit tibi: seu medicorum Hippocratis, Galeni, miseri Oribasi; seu Mathematicorum Apollonij, Archimedis, vel Euclidis: aut Philosophorum Aristotelis, infelicis Theophrasti, atque Alexandri. Sed vereor ne alienis cedant labores mei? quisque semper huic periculo obnoxius fuit, multi in multis maximisque. Diuide in amicos quod times subripi ab inimicis, nam hoc latum est, aut Principi largiaris, vitam tuam, si non alius scribe, Antonini exemplo refer que scripseris: sic lapsu temporum velut etiam Aristoteli, & Galeno omnia domino suo restituentur, nam phrasia acumen grauiusque manent. Sed quid tibi ab obitu, modo in vituluptate fruaris? Virgilius mandauit aureū illud opus exuri; aut sepeliri: Quatum Aristoteli profuerit abscondisse sua e. e. annis: nec minor gloria pro illis quæ desiderat, cui si exemplo solari cupis (non requiro ut Socrati, aut Hippocrati vel Oribasio quorū fortunam imo omnium celebriorum potius miseriam vulgus appellare possit) te cōpara, videbis quam in omnibus beator sis. Cæterum aliorum hæc cura fuerit, tu vero opta ut velis, quanto plus habueris bifariam eris sapientibus quantumvis oppressis inferior: tum virū animi perfectio: tum temporis successu cum ex illo potius fiant infeliciores, aded ut casus, nihil eis pro sint, hos verd liberent: ipsi pro aliis laborant tu pro te ipso, & fama perpetua, sunt quoque illis connexæ suæ Erymnes, velut professoribus, altercationes, discipulorum inconstantia. Vnde animi fluctuatio, atque æstus. At,

*Vulturia gaudens vita laxare sepe,  
Rarius & lateri brachia pressa tua,  
I. perij: commune exemplo cadit.*

Quid ais tu? Nonne timor mortis, pænæque minor eris? Quid? Quomodo? Qui in rota erat Franciscus Lugdunensis latro orabat

Sf. j. bat

bat ne strangularetur: nulla mors ex morbo non longè scituor quam quæ ex laqueo. Ab obitu verò non melius his beatis si nihil sperent: si quicquam, quot modis sunt inferiores? propterea dicebat Philippus Argentonus, nihil eos sperare, sola oblivione transigere vitam, ò nimium felices? ò nimium fortes? ò nimium stulti? cum possint obliuisci, & necessarij & eius cuius tot exempla quotidie vident. Ergo beati hi vno atque altero bono priuati, reliquo miseres: vt nihil amiserint præter obliuionem. Sed iam diu miror qua arte hi imperiti potuerint assequi hoc? an expedit ad æqualitatem? at vix persuaderi possum: fingunt plerique atrocius bifarium malum; quid si credant nos miseros, eos beatos putare? hanc tem nec sperare possunt, illa exilis consolatio à porticibus ad nos non pertinet: stultus es, si de errore alieno doles, Socrates enim solebat appellare vulgi voces terriculamenta puerorum: id solum monet timores spebus præferendos: si iactent? captiuum occidere noli: seruiet, Neque credas cum totum bene valeat te esse infelicem, vt decumbente morbo pedis dolor solatium à corpore recipit, meliusque valet, tum quam antea: ita viro probò in calamitate ob id quod Deo iunctus est, sed sero hæc cognoui? omne diuinitus tempelium. At occasiones præterierunt? non inquam? hæc enim bifarium retro respiciuntur. Et quod præuisa commutant in melius: Et iam facta traducunt. Demum id cogita generaliter aduersa præstare vt temporis dilcas distributionem, æconomiam, prudentiam, amicorum cognitionem, morum notitiam: hæc potiora secundis. Si tamen efficax optas auxilium, animo dentes, & vhgues: corpõri laræ.

Hor. ad  
Epistola 1.

Particulatim spem & metum in tenuissimis collocabis, si nondum sanus es, sed si liberari potes in maximis, vt maior prudentiæ lans sit, nam si sanus es, his non indiges: iniuria verò affectus dicas axioma illud: omnes homines optimè se agere putant, & esse cæteris sapientiores. Ided misericordia magis, quam odio digni. In his quæ non obtines; Ouidium de remedio amoris in vsu renoca: Plerumque etiam in optimis plus mali quam boni, plus doloris quam voluptatis esse comperies, sapientia omnis infinita est. Vt diuinæ colligatis quicquid effluit delectat enim & solatur. In naturalibus procedo quantum potes, ob vtilitatem. Ex humana quod ex vno filo deducere licet. Noli te cum alio committere ne perpetuum cum mortali, sub aleæ discrimine ponas; at pugnandum? *οὐκ ἔστιν ἐν τῷ αἵματι*; plures sunt? *ἔστιν ἡ πλάσι*: hoc perage in quo vales interim spe consolaberis. Noli vitare virginem: sed arte medicæ tibi consulo; leuatus, nam te iuuabis, aduersarios vres, blandus vt pæres, ac retineas. Noli pugnare cum Principibus, nec fortuna, nec tuis, *Ἄνεξ κλυπεύς*, cum potentibus misericordia, atque mansuetudo; aliis sulca præsidii: post cum agis age, si commodè potes. Tertium collige te tuaque, cum virge, sic enim fabri ferrum formant, sed prius operias autam: præsertim cum potentibus; non erat ignorantis nec sapiens terra-

re potest. Ergo *ἀβυσσός*. Vbi omnes mali nec fugere licet spem iniuce: sed tamen bonum est cauere ocium, hirundinem, & polyptum, proponasque, tibi finem potentem: hi sunt amot, & odium, & quo pauciora eo facilius, celerius, melius, tutius, maiorique cum vtilitate assequaris. In plerisque iuuat tacere non si placere non vis, aut speres submittere te, quid magnum putas, cum longè maiora nihil interesse docuerim? Verum plura, & magna me opprimunt, quibus non sufficio? vna ratio est, diuide in singuli pluribus simul innittere viis, & precibus vni, potentium authoritati, æmulos falles, & falsos amicos, si vbi minus spei est, magis vrgeri videaris, sic nihil in accessu, primoque comparabis quod omnibus fermè pro viatico est, stulticia, medela, improbitas: improbitatis quandoque stulticia: contumaciæ & stulticiæ plerumque, simulasse non numquam sufficit. Sic animi doloris dens aut vnguis, operis laræ.

Cum procella sæuit collige vela, dimitte anchoras. Quibusdam profuit seruato temone totis velis finire nauem ferri, Medium dimisso exiguo velo nauigare, id pluribus. In nonnullis non licet aperire nisi perfectè claudas. Prudentia fortitudo *ἰσχυρία*, vt tamen interim sufficias non prohibeo quin amicorum congressu, peregrinatione, venatione, alea, alto somno (ad illum faciunt frondes somnia) *πυρίσθησι*, vino medicamentisque te munias. Et quamquam omnia æquo animo ferenda sint, de vita tamen ne id agas ex quo liberatus aliquid vt agas relinquatur, propter quod hilare viuere non possis. Cum duo offeruntur ambo bona, sed quæ sibi inuicem aduersantur, celeriter te præpara, connecte, tardè elige: si indiges optimum; si non tutum. Fuge odium contemptu, & *ἀδύναμις*. Seris borrago passæ columbi naturales. *Καρύσιον* verò crocus, rosa, stirax: interdum agaricum: prædictione in periculis si necesse est blanda. Quamquam vbi oculus alio respexerit parum verba profutura sint, satis ne noceant, cum omnino tacere nihil afferat auxilij, & ansam præbeat iniustis excusandi se. Porro conditionis nostræ exemplum accipe: desiderium potus vini, à cœna amor podicis: odium inuidi, quæ dum vrgerent alperrima, vsu praua, post rescipiscensibus pœnitentiam afferunt aliis exitio. Ergo postquam omnibus datum est ea conditione nasci, vt temporibus, moribus, studiis locis paria semper subeant commodis incommoda: scire vnumquemque præstat, & ad cauendum, & eligendum, ac ferendum, noueritque, *ἡδὺν βλάπτει* fore vbi beatius viuere contendas, alterutrum ergo subeundum est: sed ridebant me. At quam parua sorditudo, pro tam pretiosa medalla! Iam ergo nihil restat nisi vt non incidamus in illud, difficile est docere sapientem. Iubila in tempestate, nescimus enim quid petamus; caue tamen & fer.

15

16

17

84

Dnpla  
DCXXL

19

\*\*\*\*\*

DE CONSVETVDINE,  
Et est secunda pars.

**R**egnum humanum in hoc est constitutum vt homo securus & cum existimatione vivat. Ad hoc ergo vt secundam decreta patrum, & consuetudinem, atque ideo pro negotiis nihil non impendat, pro vita parum: neque de morte sit sollicitus, non solum quod necessaria sit, sed quod sit omnium malorum finis, ideoque iuxta hoc neque prohibetur quin speret magna, & multo etiam maiora fingat, nã si euenerint felix erit: si non euenerint tamen vitam lætam ducet. Licebit ergo omnia suo more his seruatis agere. Quod si mors contingat, optandam putant occasionem fortiter moriendi, contra si quis refugiat, turpe; & illum damnant, tamquam bono publico sui commodi causa aduersum, nam ex hac lege condicla coaluerunt imperia; & ad paucorum potentiam traducta est multitudo hominum: hæc tamen diuiduntur: nam quædam sunt in quibus fortitudo & crudelitas præualet: in aliis inertia & doli: tibi plus de virtute, hic minus de sanctitate: communis omnibus tanquam fructus voluptas. Quid verò curabunt mortem aliorum, vel etiam filiorum, qui propriam negligunt: sed in filiis aded amentes facti sunt, vt etiam laudi ducant viri fortes. Solum superiorum curare videntur: non ex humanitate, sed vt existimationis partem: quorundam tamen seruo, vt fundamentum potentie suæ. Huius etiam opinio fuit ille Socrates: qui cum ei mortem fugere liceret: & Pompeius ac Sylla cum possent imperare hac nomophylacia, non solum principatum, sed fortunas omnes, vitam ac stirpem propriam funditus perdidit: propterea. Cæsar dicebat Syllam necesse literas. Ipse verò dum contemnit leges poritus est rerum. Vnde sæpe iactabat illud.

*Nam si violandum est ius, regnandi gratia Violandum est: Aliis rebus pietatem colas.*

Dicere voluit factionem, sed carmen non admisit. Quod verò miserrimum est factio in factione, nam esse plures semper solent. Hæc igitur est ratio vitæ communis. Quod si alio modo sentire videaris, loquentem inturbant: & si perferens obstrepent, non etiam sine irrisione, solos enim se sapientes putant. Quod si audientes (nam illos numquam poteris) persuadere tentaueris, tum oderunt: & captant in verbis: & apud suos accusant vt hostem, & si nil habent in his quod vellicent, aut ob iudicium sanctitatem ex aliis quærunt occasionem. Quæ etiam si desit, & tu ob id vrgeas, multitudine opprimunt: nec audire volunt: nec audiri permittunt: hoc satis esse putantes iudicio publico te damnari atque eam ob causam à priuata iniuria abstinent. Eadem etiam mulieribus quæ in viris comparatio, & mores, & turpior ob stultitiam, incumbantur quippe his: tantior tamen ob sexum: misericordia enim tanguntur mulieres. Quid ergo facias? non (vt quidam) loqueris vt illi: nam falso subscribes: irrideberis vt imperitus eo in genere: & inferiorem atque veluti assentatorem te constitues, neque prorsus tace-

bis: nam ex tuo iure de cedas. Propterea quidam, forsan non aded iniuste modo scirent finem imponere, (postque hic locus bonis & peritis relictus est) quicquid, intuitu ablatum est in communi, restaurant in proprio de arte sermone; aded vt etiam si deficiat materia repetant, & si interpolentur, ad rixas ac iurgia perueniunt, quæ quamquam præter existimationem ac decorem fieri videantur, collata ad causam & tempora merito facta dici possunt.

## DE DIFFICVLTATIBVS.

**I**uxta hæc in singulis artibus accidunt difficultates. Et vt exempli gratia factione inita medici alium non admittunt, admissum irident, vestes, gestus, verba. Si loquaris cum ægri propinquis, interpellant, obstrepunt, inturbant, sine illis contradicunt, iure vel absq; ratione nihil interest: omnia reiiciunt, mutant. Cum timent admittere se simulant: ei qui assidet iubent vt aliud faciat, vt periculis vtroque euentu seu in melius seu in peius commutetur æger, si queraris, dicunt non potuisse fieri. Sic de exitu qualicumque sit, tibi paratam habent iniuriam. Per has nefandas artes occupant collegia & nationes, ac familias nobilissimas: vt cum antea obseruare illos necesse esset, postea timeri velint, quod si his omnibus famæ, fortuna bona, doctrina, prudentia exemplis auxilio eruditorum vmbra principali illorumq; intestinis odiis emergere vitaris, ad iurgia vim, minas, insidias: denique ad pugnam apertam priuatum, & publica auctoritate, multitudinis clamoribus maximè freti deueniunt. Quid agat vir studiosus inter tantas turbas, & cum tot impedimentis metuque ac periculo? impa: vel vni horum?

## REMEDIA EARVM.

**T**ria sunt: cum socio non admodum prauo perseuera donec vt rogasti monearis. Nil seorsum ordina, fac, nisi coactus, vel prædicas. Ne te collaudes nec quicquã inuidiosum proferas, nec quemquam vituperes, nec illius inimicum lauda sperans syncerum videri, sed verba seras congruentia illius moribus. Conare præterea illi gratificari quouis modo, & etiam suis amicis, vt intelligat animum saltem te habere bonum, nec sint facta vnquam verbis inferiora. Plurimum ergo prodest parum loqui, & bene considerare.

Generaliter autem cum æmulis iunctus nil nisi ex arte loco tuo & ordinato: nec sufficere verbis non peccare, sed neque gestu, vestitu deambulatione, nec circa familiaria. Habere autem vnum qui opportune, & cum grauitate cum grauitate tuam periciam artis, experimentam prudentiam, integritatem manducationem diligentiam, arcana predicet, contra verò tot illas & tam multipliciter artes ac violentas, Catonis vtiensis exemplo sermonem vt diximus produxisse iuvat. Nil habent contra hoc, quam vt exhiberet, velut verbosum; & nota illis dicentem. In his laxant suæ im-

proba tela, vires fatigant, ira cadit dum volutati satisfaciunt, & dente sæuiunt. Interim multitudine verborum obruantur mentem delaxant dum obseruant specula, & quod petant, & licet te euertant, paulatim consuetudine coges pati. Et tamen colligis emolumentum ex impedimento vt sermonem ab initio inchoatum instaurare possis. Sit autem sermo ex aliquo authore antiquiore illis probato cuius verba singulari imari videaris, aliis etiam connumeratis duobus aut tribus. Ratio autem probabilis, & ab eis quasi concessa & dilatata decenter præcipuis quibusdam & famosis medicamentis, sed alio modo præparatis & quasi arcano elegantis.

Priuatim seorsum nihil præferas, neque de cura neque prædictione neque de morbo, sed iube vt consulant N. Stasiarchum seu Cathegomonem. Ordinem loci ac dicendi si negæt, aut de iniuria queraris, aut prorsus negligere te ostendas. Si quod taceas admirentur, Tenonis responso satisfacito, si interrogent cur venis? Dicas venator sum, si emergat aliquid acturus, quicquid euenerit morbi naturæ tribue. Demum si ad immanitatem ventum sit, personam indue Marcelli Appuli qui lusum occrearum adolescentibus peruasit. In vniuersum post recipere aliam cum suorum sociis non decet, nisi solus cum solo: velut iuret in filij caput dimidium tibi relicturnum, neque deserere iam susceptam, cum neque vtile sit, neque gratum futurum ægro vel amicis eius, imò æmulis & quod deterius obfuturum existimant, non enim illum tantum sed cum nemine velle curare diffamabunt. Ergo retinere cum sit necesse, neque eorum decretis subscribes nec obniam leuiter ibis, ex auctoritate enim minues. Et fur, & homicida & proditor euades. Nec trahere in partes socios: operosum enim ac non pro dignitate neque monere suos, suisque odiosum ac periculis plenum. Quod si rationibus validis atque auctoritatibus tentes ab initio forsan non absurdum: sed vbi ingum excutere cæperint, frustra est niti, & nil nisi odium querere, nam si salutem timeant nil illis atrocius, si iuuant hoc etiam deterius ne propinqui dicant cur non ab initio admisistis? idem summum noceat. Quod si obfuturum sperent, id scient à proximis obici posse: cur ergo permisistis?

\*\*\*

### DE ADIECTIONE, Et est tertia pars.

**R**eliquum nunc est vt postquam de solida & inconstanti euentuum æstimatione, similiter & de vera ac vulgari mentionem fecimus, nunc demum quod obici posse sentio de sensuum voluntate atque dolore loquamur, horum enim iudicio humana constant. Res enim quid atinent si non cognoscantur? ratio autem iux momento in nobis viget: totum igitur felicitatis & miseriz fundamen-  
a  
tum apud homines in sensibus est, neque  
momentaneum, sed sit a b c tempus & b  
palum est quod in momento quouis re-  
fert totum a b c. siquidem a b memo-  
c  
ria præteriti constanti b c verò futuri spe firma veluti in Principibus & perpetuis magi-

stratibus, aut in timore velut in damnato perpetuo carcere, aut insanabili morbo laborante, cui subscribitur sapientes. Dicebat enim Aristoteles finem nostrum esse virtutis vsum inuicta perfecta, & felicitatem sitam in bonis præcipue animi, non tamen ad beatam vitam sufficere nisi à cæteris corporis & fortunæ adiuuetur. Sed postquam de solida atque vera felicitate ac miseriz concordēs sumus quavis difficile sit de sensu litigare iudice sensu; tum res aded evidens est vt facile quisquam intelligat non plus esse felicitatis atque miseriz in hoc genere quam in cæteris. Primum tota ratio illa præteriti atque futuri, nihil cum sensu habet, sed pender ex cogitatione quæ in nostra est potestate, ided eam licet trahere quo volumus, & etiam ad mistum genus pertinet, Præterea si de felicitate loquamur rara est diuturna in mortalibus, rarior pura: rarissima constans: secunda nunquam. Et cum vitis obruta sit quibus in affluente bonorum copia carere difficillimum est, secum semper tortorem habet: vt sola spetie, velut fucata mulier, aliis præferat, felicitatis imaginem, illi exitiale tormentum, quid ergo inuides ei qui se miserum putat esse? at de calamitate minus dubium: rara bonis, rarior sapientibus: rarissima virtute præditis, nullum extat exemplum diuturnæ miseriz si sapiens atque innocens fuerit. Quem virum insignem ostendes qui in carcere spiritum deposuerit: Qui prudens fuerit Principem eligere nouit. Princeps sapiens bonus viris amicus est. Denique omnibus vna patet communis via virandi omnem miseriam seu sensu seu vita careas. Est ergo miseria nulli probo viro aut sapienti, aut forti metuenda quæ rarissime fortuna aduenit: exemplo non visa, & quæ vltimo herere nequeat. Quam obrem antiquis temporibus eo refugiebant omnes vt tuti essent. Quod si beatum est non affligi vilo incommodo qui putat sibi satius viuere necesse est vt iam felicior sit omnibus illis qui nihil mali sentiunt. Aut si putar non expedit hanc miseriam, nequid diuini offendat, quanto etiam illo qui ferre mauult felicior est? Verum dices doleo de iniuria? atque persæpe error in nominibus in rebus etiam etrandi causa est: non potest iniuria inferri nisi volenti. Quid vis? imò nolenti, nequaquam vis est, quæ vt alia fortuita ferre decet, fateor, melius aliquanto potiri voto, si non: inter fortuita numeranda est. Et si ferre nolis conqueri licet, seu de magistratus iniustitia seu priuati insolentia nulla sanè iniuria est; & paruus dolor, vt etiam aliorum quæ fortuito eueniunt, ac ab ipsa solum iactura existimandus, cum tua culpa omnino absit. Quin etiam minor plerumque quam cæteris in casibus, quanto maior est spes recuperandi. At iniuria est cum blandis verbis deceptus, & propria mollitie delinitus, in tua damna consenseris, hinc dolor, hinc lachrymæ. At victus es? fortuna & vi: abest culpa, abest iniuria, ad numeranda aliis casibus: ille in manus latronum, alius piratarum, alius ex prælio in seruitutem ductus est, alteri improbus iudex contigit, quem tamen non elegerat: alij domus corruit: alij tempestas fata sustulit, hæc omnia mala sunt, sed fortem virum non vrunt: itaque hoc tam graue malum,

māhū, non nisi volenti contingere potest, cætera sunt leuia, quæ non sunt in nostra potestate; hæc dico non sola ratione fretus sed multiplici experientia confirmatus, differt vis ab iniuria vt dicebat ille.

*Quantum lenta solens inter visburna expressi.*

Interim his rationibus à sensu sumptis superflua illa & eminentia titillatio imò vellicatio sensus, velut polypos se ipsum exedit, & delet. Modo memineris sapientes & virtute præditos maximè miseros euadere, quoniam vt ad æqualitatem reducantur necesse est maximis calamitatibus premi. Idèd cum hoc non opulenti accidat tum ob id, tum quia instabiles sunt opes, nec mortuos comitentur, & venenum suum secum deferant opes ad felicitatem parum conferunt. Verùm vt hæc omnia omiseris, qualis locus & quam purus solidæ & immortalis beatitudini relinquitur?

\*\*\*

## DE NEGOTIATIONE,

Et est quarta pars.

Vitæ humanæ (vt ad nostram proprie dirigitur) Duo sunt scopi seu partes, finis & medium, finis soboles (est enim mortale ob perpetuum) Medij felicitas. Ad vtrumque necessarium vita, & valde vtile opes ob plurima commoda. Medij rationem habere oportet vt aliquid naturæ tribuamus: & quoniam ad finem necessarium est, triplex vsus propter se & vocatur interim, propter succedentia: vt empirio agri ob fructum & ob sobolem quæ si desit nepotes & sapientiam atque virtutem atque ex his quæ paratur gloriam. Hæc enim similia fini, sed differunt vt mortale à perpetuo: Et vt commune cum Diis à communi cum belluis. Vita verò præpenenda est

opibus, in eo qui parare potest, vel si sobole careat: Quod si adit soboles & res, opes vitæ propriæ sunt præferendæ. Porro quæ ad finem distinguuntur singula in rem & opinionem. Opinione cuncta facies meliora. Et quæ non potes motum motui contrarium ciendo, tractatio vsus relictorum comparatio ad tempus antequam possideres. Est enim mentis priuilegium ad extrema transire intacto medio: inuratio regionis absque odiis ac timoris susceptione. Res aliæ sunt quæ deuitandæ, aliæ procurandæ, aliæ quæ originem præbent aliæ opinionem. Vitandæ, noxia nimia, odiosa quæ siccant, intempestiua, incongrua motus à cibo, frigus à calore: mador, præcidenda hæc ab initio & occasione.

Procuranda quæ multiplicis commodi velut somnus, is enim parit prudentiâ & tranquillitatem, lætitiâ, & ex laboribus vtilitatem, idèd etiam ex opinione & si absurda vt per carmina illa Italica.

*Io son Aprile del dolce dormire,*

*Coglier fioretti & belli ucelli videre.*

Opinio ex re vt non solum valetudinem & robur sed etiam lætum habitum compares, vt de Democrito Philosopho & Philemone Comico. Ad lucrum verò blandus, sollicitus, gratus, patiens, grauis, prudens, accommodatus. In actionibus continere se, tacere, non facere, non dare: Memento summum malum, à summo bono duobus digitis distare: inspice singula, & ignis exemplo admonearis. Nihil nisi conductitium habere nos, quamquam perpetua soleamus appellare quæ ultra vitam durant vt agri & gemmæ. Sed nec horum possessio nisi rarissimè diuturna vt sit, hospitium hoc non domus, in sola prole est quædam perpetuitatis imago, cum illa nihil sit infirmius. Vtile à Turcis ad dimidium, frictione pro prandio, palea pro feno, lecto inciso & siccato.

FINIS.